



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Stephani Balvzii Miscellaneorum Liber ... Hoc est,  
Collectio Veterum monumentorum, quæ hactenus  
latuerant in varijs codicibus ac bibliothecis**

**Baluze, Etienne**

**Parisiis, 1679**

Collectio locorum quorundam insignium consilio omissorum in libro sexto  
Rerum Sicanicarum Maurolyci Abbatis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14735**



per ditos dies plenariè & septimana successivè pittancias duas nobis fecit, & diebus ceteris emendationes condignas. Quicumque verò hanc subscriptionem legerit & . . . . . oret pro eo salvatorem omnium & etiam redemptorem ut in vita ista prædictum G. conservare dignetur & ad vitam perducere sempiternam. Amen.

Anno Domini MCCC. quinto obiit Gaufridus Ecclesiæ Abrincensis Episcopus II. Kal. Februarij.

Eodem anno abbatizavit primò frater Thomas Morch. de Fulcardimonte, & multùm laboravit contra Comitissam pro Conventu ejus domus.

Anno Domini MCCCCLXXVIII. obsessum fuit castrum Moretonij & alia castra Regis Navarræ per Francigenas, & patria devastata per guerras.

COLLECTIO LOCORVM  
*quorundam insignium consilio omissorum in libro sexto Rerum Sicanicarum Maurolyci Abbatìs, edito Messanæ anno MDLXII.*

**F**olio 190. linea 7. post hac verba, ad templum majus elatum est, adde. tunica, stola, ac manipulo aureis, calciamentis sericis purpuratis, calcibus ex albo serico, bireto ex raso serico albo, corona, sceptro, pomoque, calcaribus quoque aureis, lecticæ aureo textu regiis insignibus quadrifariam picturato contextæ impositum, à Baronibus & Equitibus atratis suffultum. Præibant funus Clerici, monachi, omnesque cruciferi. Canonici donati sunt singuli cerea candela unius rotuli, Presbyteri hujus dimidio, Diacones quadrante, cruces duplo. Deinde in cereorum lumina posito feretro, peractoque funebri officio &c.



Folio 198. *his quæ edita sunt in linea 30. & sequentibus usque ad verbum ostentarunt in tertia linea pagina sequentis ista substitue.* Sed nec omittenda sunt ea quæ per idem tempus accidere Messanæ, sicut non indigna relatu, ita exemplo futura posteris. Io. Colas Rhegitanus superius memoratus popularis, factione Philiarum, cum quibus veteres inimicitias exercebat, ac ex nobilibus quorundam, quibus ob affectatos magistratus maximè invisus erat, apud ædem sancti Leonardi peremptus est, idque ad diem 28. Ianuarij anni 1518. Quo etiam die Franciscus, unus ex liberis perempti, Io. Philippum Cultellum infontem ex improvise adortus mactavit, quoniam Cultelli Philiæ amarent. Antonellus Io. Colæ filiorum maximus cum molestissimè tulisset patris necem, occasionem quærens qua injuriam ulcisceretur, adhæsit Alfonso Siscaræ Aellenium Comiti, qui capitale odium exercebat contra Muletios, qui fororis dotem ex vadimonio deberi à Liminæ Baronis heredibus asserebant; eratque heres Alfonsus, qui filiam unicam Baronis duxerat. Ob id litigium verbis convitiisque ultro citroque jactatis, fortè accidit ut Comes ad funus quoddam, officij causa, in Carmelitanum templum veniens, à Petro Muletio, qui vicinas ædes habebat, in brachio vulnus acciperet. Affuit casui Thomas Merulla Condiannij Comes, urbis tunc Strategus: qui quoniam utriusque parti sanguine conjunctus erat, potius litem componere quàm fontem punire satagebat. Nam Thomas duas forores habuerat, harumque unam duxerat Petrus Porcius profocer Alfonsi, alteram Matthæus Petri, qui Alfonsum vulneravit, pater. Hæc igitur fuit femina rixæ. Alfonsus genere ac titulo clarus eam injuriam inultam non ferebat, & auxilia in adversarios congregabat. Contrà Muletij amicorum sequela vallati nunquam non in armis erant. Alfonsum



constipabant Portij, Spathafori, Solymæ, Stlitij, Zizij, patritij, ex plebe autem Rhegitani, Casalainæ, aliique obscuriores, eorumque sequaces, complures etiam ex Calabria & Aello acciti. At Muletis favebant Lanceæ, Balsami, Ioannij, Putei ex nobilibus, ex populo autem Philia, Cultelli, & ceteri qui particulares inimicitias ac veteres cum alterius partis familiis exercuerant. Rhegitani tunc plurimum in plebe poterant. Marianus Ioannis, unus ex patris eorum interfectores, auxiliante Siscara Comite cum sociis universis, ab eis Kandarij captus, ac Messanæ securi percussus est. Nec profuit illi antiqua patris Colæ familiaritas cum Merulla Comite, quem tunc urbis Strategum urgebant literæ Pignatelli Proregis, qui ut sustolleret seditionum fomites, modestia posthabita, potentioribus cujusque ordinis enixè favebat. Itaque cum civitas in duas divisa factiones esset, nunc hi, nunc illi omnis generis telis instructi per urbem incedebant. Sed ut paucis rei exitum exponam, cum per totam ferme æstatem anni 1518. partes hoc modo in armis constitissent, tandem die Martis, qui fuit Augusti 24. D. Barptolomæo dictus, Muletij, collectis sociis, instructi ante solis ortum progressi, in quadrivio pro foribus templi majoris constitere, ubi super duo fulcra dispositis archibus ad ejaculandum paratis, adversarios expectabant. Mox tamen à sacerdotibus moniti ac rogati ut à templi saltem cœmiterio secederent, ad Mogiorum se quadrivium retraxere; ibique prædicto modo morabantur ad Malfitanam viam conversi, ad horam usque prandij frustra præstolantes. Nam Alfonso Comes, disgregatis fortè sociis, non erat ad egressum paratus. Ita Muletij flexo ad campum usque D. Ioannis Baptistæ itinere domum rediere. Post meridiem Alfonso, complicibus jam adunatis, bombardam quoque ingenti bobus attracta, sese præ-



lio accingebat. Antonius à Lignamine Messanenſis civis & Archiepiſcopus cum Thoma Stratego reliquoque urbis magiſtratu partium furorem precibus, monitis, jurgiſque compescere conabantur; eoque die pro Annunciationis æde ſtabant, Siſcara atque Comitum egreſſum inhibitori. Sed acies armatorum jam ad exitum accincta, patefactis repente foribus erupit, proſtigato Præſule ac toto comitatu; proceſſitque per viam teloniorum. Interim Muletij ad eandem prodeuntes, in adverſariorum occurſum tendentes. Nec ceſſabat antiſtes cum Stratego Iuratiſque, ſed ſimul ultro citroque per dictam viam procurrentes, partes, ne concurrerent, morabantur, donec Alſonſus cum ſuis ad publicæ auſtionis quadrivium, Muletij verò ad D. Petri portam, in qua throcleæ tormentum exhiberi ſolet, proceſſere. Inde partes contentæ fuerunt, flexo ſurſum itinere, ad propria ſingulæ reverti. Verùm cum ad exitus tranſverſæ ſemitæ, quæ per D. Petri cœmiterium extenditur, pariter perveniſſent, ſcolpettorum jaculatu eminus pugnare cœperunt, ubi aliquot ex utraque parte percuſſi ſunt. Inde ad lateritiam præcipuamque urbis viam ſeorſum conſcendentes, cum ad mutuum ruruſus aſpectum veniſſent, Siſcara cœperat cum ſuis domum reverti; ſed adverſariorum temeritate provocatus, converſus eſt. Tunc multis hinc & inde diffugientibus, factus eſt ſparſim conflictus ab aviario foro ad ædem uſque D. Nicolai. Complures ſphingardarum jactu vulnerati ſunt. Gelleottus Lancea viribus & audacia præditus cum paucis irrupit in adverſarios; cumque obvius proſtigaliſet, unum è bobus bombardam trahentibus ingenti vulnere proſtravit. Mox ejus bombardæ ictu percuffus cecidit juxta ædes Henrici Staitij. Ibi ab adverſariis ingeminatis vulneribus peremptus armisque ſpoliatus fertur. Gelliottus Ioannes procedens ulte-



rius, hastæ incurfu vulneratus, juxta parietes ædis S. Nicolai jugulatus jacuit. Io. Philippus Philius Regitani senis percussor in quadrivio spathaforio à filii illius traditur occisus. Petrus Muletius per vicorum flexum ad ædem S. Petri elapsus, inde domum sese recepit. Sic mulctatis temerariis, ceterisque dispersis, rixa quieuit. Puderet me hic privatorum dissidia inseruisse atque infimi generis homines nominasse, nisi bellum illud intestinum inter cives relatu dignum visum mihi fuisset. Abstini tamen à referendis inimicitiis particularibus & cædium auctori- bus, ne hujusmodi memoria resuscitaret odium inter posteros. Sed omnino, qui scribit historiam, uni- versis placere non potest. Itaque sicut contempto- ribus antiquitatum nimius, ita curiosis parcus cen- sebor. Siscara Comes cum sociis tantæ rixæ atque cladis reus parvo negotio veniam obtinuit. Nam connivente Prorege super discordiis privatis, ubi non periclitabatur regia majestas, quingentis solùm aureis mulctatus à judice qui post obitum Merullæ Comitis cum fascibus præfecturæ defuncti locum virgamque receperat, ac dimissus, in Calabriam transfretavit. Ceterorum nonnulli exilio damnati ad Ennensem arcem. Veniam nunc ad sequentia. Anno salutis 1519. Vgo Moncata regis classi præfectus &c.

*Folio eodem 198. pag. 2. extrema, post hæc verba.* veterani Comes, *adde.* Hic quosdam proscriptos in cænobio S. Placidi latitantes seque sclopettis armis- que tutantes non sine periculo suo ac cæde suorum expugnatos ibi strangulari iussit. Fuerunt hi de ple- be, qui Philix ac Cultelli cognominantur, cum tri- bus obscurioris nominis complicibus, qui non tam contra Præfectum quàm contra Casalainas adver- sarios, qui Præfectum constipabant, arma sumpse- rant. Hector Prorex Panormo digressus &c.



*Folio 200. linea 14. post illa verba,* fugiens la-  
tuit, *adde.* Sed operæ pretium est considerare ho-  
minum stultitiam, qui quod antea totæ summorum  
Pontificum vires, quod magna Regum terra mari-  
que gesta bella non potuerant, ipsi sibi facile factu  
crederent. O puerilem dementiam. Affectabat Im-  
peratoria familia id quod cognomentum stolidissime  
assumptum significabat. Quin etiam propria Augu-  
storum nomina ut plurimum elegerant, ut quoniam  
aliter non poterant, Gnatonico more Principes vi-  
derentur. Equidem potuisset tantæ puerilitati dari  
venia, nisi exteris malo fuisset exemplo. Itaque ex  
his novem numero, tres fratres Imperatorij &c.

*Folio 201. linea 6. post vocem festinans adde.* Dum  
autem Messana pestis incommodo vexatur, ac ex-  
hausta civibus mœreret, cessaverant negocia & ope-  
rum omnimoda exercitia. Panormus opportunitatem  
nacta nocendi, temporis penuriam atque mercato-  
rum necessitatem causata, postulaverat Proregem ut  
officina monetaria Cephaludium pro tempore trans-  
ferretur, donec aurum & argentum, quod mercato-  
res offerebant, cuderetur. Messenij hanc fraudis do-  
losæ technam speculantes, injustæque petitioni ad-  
versantes, sese, Messanæ instructa intra menstruum  
spatium officina, omnia perfecturum pollicebantur.  
quod si differri nollent, metallum Mylas apportan-  
dum curarent, ut pretium reciperent. Hic non ta-  
cebo laudem meam, quoniam opera patris mei An-  
tonij & fratrum meorum, qui quandoque sicilæ re-  
giæ præfuerunt, factum est ut collectis operariis,  
moneta signari cœperit, & occasione periculi subla-  
ta, invidiæ intentum cessaverit. Mense Octobri  
Pignatellus Drepanum profectus &c.

*Folio eodem 201. pag. 2. post hæc verba,* Messeniis  
præfuit, *adde.* Hic mense Julio cum quendam Ar-  
chiepiscopi filium Roma venientem in ipso portus



ostio, tamquam furem, quatuor aureorum millibus privasset, antistes pecuniam sibi furto ablatam repetebat. Qua negata, populum sacris interdixit, occlusis sacrarum ædium per septem dies foribus. Per idem tempus Pignatellus &c.

*Folio 203. linea 22. post hæc verba, concessus est, adde.* Circa Iulij mensis finem Petrus Pharaonius Monopolitanorum Marchio dudum declaratus, Mamerino magistratu procerumque cœtu stipatus Proregem in palatio salutat, & ab eo resalutatus & honoratus, ad ædes reducitur. Hic Messanensis erat patritius, Angeli filius, mercatorum amplo commercio notissimus, vir prudens, literatus, magnæque auctoritatis. Cùmque non modicam frumenti rerumque bello necessariarum summam obsessæ Neapoli contulisset, quæ summa 40. millium aureorum precium excedebat, pro repensione à Vasti Comarcho, quem Cæsar insigni tunc potestate decoraverat, Monopolim accepit. Verùm cùm oppidani jugum detrectarent, ac Petrus ad Regem profectus jura sua repeteret, tandem curiæ decreto statutum est ut Monopolitani quatuor aureorum millia Pharaonio penderent quotannis donec censum redimerent. Eodem Iulio mense aliquot exules proscripti præfecturam simulantes, Agrigentinam arcem admissi occuparunt, ut vincitum quendam absolverent. Eodem mense Carolus Cæsar è Barcinone &c.

*Folio eodem 203. pag. 2. linea 25. post illa verba, quæ Metonem se retraxere, adde.* Eodem mense tres viri Messenij totidem triremibus constructis orientem versus ad prædam intenti navigarunt. Moverant horum animum exempla præteriti temporis. Nam multos præda ditaverat, & in his Io. Antonium Benincasam, qui rostrato navigio ratem preciosissimis rebus onustam Alexandria digressam ceperat unâ cum nautis credentibus navigium illud validissimum



ac bellicis instructum machinis Vgonis Moncata fuisse, cuius eo tempore fama terreat orientem. Verum hoc trium triremium præfectos tam exemplum quam spes fefellit. Ex eis enim Bernardus Lancea Galiotti filius in Syriacis oris telo confixus occidit. Ex duobus reliquis, cum Venetam navem in Aegæo mari cepissent, Philippus Maza Eques Rhodius a Venetis captus & obruncatus. Colas verò Signerius in scypham deductus, sive demersione, sive alio mortis genere interemptus sit, incertum est. Mensis autem Septembri Oriæ ductor Messana discessit cum classe Genuam versus. Nec defuerunt signa tantorum motuum &c.

*Folio 204. pag. 2. extrema, pro his verbis.* Postridie Carolus urbi appropinquans &c. fidelissimam decebat, *reponere.* Postridie Carolus urbi appropinquans, per colonias rurales, quæ via Dromus appellatur, sub tribus arcibus rustica manu constructis ac per intervalla dispositis deductus est. Arcuum primus erat hederaceus, alter ex olea, postremus ex lauro, ut scires etiam hos Concordiæ, Paci, ac Victoriæ arte pastorali dedicatos. Interim præconis voce per urbem Cæsaris adventus nuntiabatur. Exierat Antistes & Archimandrites pontificiis insignibus & infulis ornati, cum Abbatibus & Canonicis mitratis, totoque clero atque monasticis ordinibus. Cumque Imperator ad fontem sancti spiritus appuisset, machinarum ardentium ad muros S. Crucis domosque figulorum positarum strepitus Principis adventum indicabant. Memini me tunc, qui Clericos inter albatos stabam, tum primum vidisse Cæsarem equo baio vectum, sericato sago punctis aureis distincto, galero annulatum texto venientem. Affuit ex equestri ordine famulus, qui descendens equum tenuit. Stabat Antistes Præfulum & Clericorum medius, crucem argenteam tenens. Hanc Cæsar



detecto capite accedens, genua flectens, osculatus est. Inde ad equitandum reverso oblatus est equus quem civitas mittebat. Sex hunc juvenes candido rasilique serico excultri ductabant. Fuit equus albus rotatis notis sparsus, aurata sella, ex auro textis phaleris, freno, fibulis, bullis ac stapedis argenteis instructus, obesus ac vivacissimus, tegmine telæ argenteæ contactus. Hoc equo vectus Carolus sub aurato umbraculo sex auratis hastis suffulto deductus est ingenti populi plausu. Ad ejus stapedas steterunt Merulla Comes tunc Strategus aurea chlamyde & argenteo sago exornatus, atque ex Iuratis unus ex Roccorum familia. Nam quinque reliqui cum Quæstore ex clara Ansaloniorum domo hastas umbraculi sustinebant, pavonaceo villosoque serico omnes induti. Sic ad horam diei nonam Princeps victoriosus, cum præcessisset Præsul cum suis ordinibus, ad urbem deducebatur. Erat arcus ad jaectum lapidis à mœnibus remotus, ornatissimo cultu erectus, novenis utrinque columnis in quadratum dispositis munitus. Columnas rasile sericum purpureum, flavum, aut candidum operiebat, aureæ bases & capitula exornabant. Idem cultus tectum, & eorundem colorum lanea texta pavementum contexerant. Geminæ alatae victoriæ arcus vertici superstabant, singulas manibus palmas tenentes, scutumque medium cum aquila bicipite Austriacæ domus & regnorum insignibus distinctum. Extremis cymatorum terminis insignia vetustissimæ civitatis inter alatos Cupidines conspiciantur. Per epistylj campum colore porphyretico decorum aureæ atque grandes literæ hanc profam complectebantur.

IMP. CAE. CAROLO V. AVG.  
 CHRISTIANÆ REIP. SERVA-  
 TORI S. P. Q. MAMERTINVS.  
 OB. DEVICTAM. AFRICAM.  
 ARCVM, DD,



Huic profæ superstabant singula disticha à singulis partibus.

*Europe Caesar tibi militat, Africa nuper  
Sub juga missa, tremit maxima nunc Asia.  
Roma tribus quondam bellis ac pluribus annis  
Quos vicit, solo mense domat Carolus.*

Ex opposita parte arcus, quæ muros urbis respiciebat, simili dispositione similibusque literis hæc inscriptio atque hæc metra legebantur.

D. CAROLO. V. IMP. MAX. IN.  
VICTO. OB. RESTITVTAM. P. A.  
CEM. IMPERIVM Q. PROPAGA.  
TVM. MAMERTINI. ARCVM. P.

Versus autem tales.

*Clausa diu Rheno Iovis ales & Alpibus olim,  
Nunc victrix Carolo sub duce lata volat.  
Qua graderis regnas, gelidos i Caesar ad axes  
Sentiet imperium barbara terra tuum.*

Ingressus est Imperator per portam veterum matorum S. Antonij, quæ, postea magnificata urbe, sublata est. Portam tunc ornabant temporariæ columnæ variegatum lapidem imitantes cum cymatiis, quibus aligeræ famæ superstabat effigies ac tubas infonantis cum subscriptione tali. A SOLIS ORTV AD OCCASVM.

Præcesserat ordinum ecclesiasticorum series. Sequabatur currus quibusdam trophæis distinctus, cuius angulis cardinales virtutes singulæ insignia gestantes propria superstabant. Superiùs geminæ in cultrum positæ versatiles rotæ quatuor singulæ alatos pueros versabant. Earum altera stellis dispositis ursam utramque cum dracone pictam, altera currum in cælesti campo auratum habebat. Adhuc superioribus erat cælestis globus auro stellificatus ac versatilis, quem sex alati pueri circumstantes movebant. Globo superstabat puer Imperatorem representans,



armatus purpurea superjecta chlamyde aureis floribus distincta, coronatus, ac victoriam manu gestans. Vectabatur & alius minor currus trophæum Africanæ victoriæ sustinens, cum hac versuum inscriptione, cum pictura olivæ & ensis.

*Te duce pax regnat, terras Astræa revisit.*

*Pone pater patriæ bina trophæa Iovi.*

In fronte posteriori cum his versibus.

*Roma timens olim Byrsam delevit. At hæc nunc*

*Cæsaris invicti fert recidiva jugum.*

Cum picto jugo circa basem triangulam trophæi hæc inscriptio legebatur.

D. CAROLVS. IMP. EX. AFRICA.  
DEVICTA. TROPHÆVM. EREXIT.

Qui duo currus ad planitiem majoris templi convectati steterunt.

Interim Imperator, ut supra dictum est, deductus per campum S. Ioannis Baptistæ, fontemque plenissimis canalibus manantem. Nam in extremis piscinæ lateribus duo marmorea signa, unum Sirenis sive Scyllæ, alterum delphinis Arionem vectantis, aquam ejaculabantur. Fons superior leonibus, summa cannis scaturiebat. Tum in vertice statua Messanam referens in ambitu fontis insculptum habuit epigramma hoc.

S. P. Q. R. DEVICTO. HIERONE.  
STATVIT. ME. SICILIÆ. CAPVT.  
TITVLO. NOBILITATIS. EX-  
TOLLI. FVNGI. POTESTATE.  
ROMANA.

Inde circumflexo itinere ad templum majus venit. Ibi ex arcu maximæ portarum templi alatorum angelorum 24 chorus delapsus trophæum dudum memoratum, quasi cælo dicandum, sursum rapuit. Imperator autem ostio templi accedens, equo descendens, à Stratego Iuratoque prædicto deductus est ad



gradus usque maximi altaris. Ibi super culcitram ex argentea tela ac pulvinaria ex auro argenteoque tessellata flexis genibus Deum opt. max. adoravit. Antistes quoque brevi prece pro eo supplicavit. Inde Carolus equo repetito eodem comitatu ad palatium processit. Sed in lateribus portæ templi duæ statuae, quarum una Scipionis Africani, Annibalis altera credebatur, positæ fuerant. Scipio his versibus subscriptis loquebatur.

*Cedite Romani, cedat mea gloria. Nam dux  
Marte potens subito cuncta superba domat.*

Annibal etiam totidem metris inducebatur.

*Quod ducis hoc robur, pietas que tanta repente  
Dudum regna meis abstulit atque dedit?*

Pro foribus palatij temporarius arcus, binis utrinque columnis, basibus, epistyllis, atque cymatiis, totus solidum marmor, quamvis non esset, simulabatur. Super fornicem duo alati pueri chartam cum huiusmodi literis legendam explicabant.

D. CAROLO. AVG. VICTORI.

Aliquanto inferius in area quadrata sex notarum ordines.

IMP. CÆ. CAROLO. V. INVICTO. D. MAXIMILIANI. NEPOTI. AVG. P. P. OPTIMO. FORTISSIMOQ. PRINCIPI. CVM. IAM. AFRICAM. SVBIVGASSET. TVRCIS. MIRA. CELERITATE. OPPRESSIS. AC. PROFLIGATIS. OB. RESTITVTAM. PACEM. IMPERIVMQ. PROPAGATVM. S. P. Q. MAMERTINVS. ARCV. M. TRIVMPHIS. INSIGNEM. DD.

Ex altera verò arcus fronte ad palatium versa, iidem picturis notisque & ordine inscriptiones huiusmodi.



## FVNDATORI. QUIETIS.

D. CAROLO. V. IMP. AVG.  
CHRISTIANÆ. REIP. SERVA-  
TORI. OB. MEMORIAM. RERVM.  
IN. AFRICA. FELICITER. GES-  
TARVM. ARCVM. PVBLICO.  
SVMTV. MAMERTINI. P.

Quem arcum Imperator transgressus palatium in-  
travit cum ingenti civium platu & machinarum stre-  
pitu. Ceterorum officialium ac civium tam patritio-  
rum quàm popularium cultum & ornatum referre  
longum esset. Post adventum Cæsaris Messanæ per  
tres dies continuatos data est opera latitiæ. Fullere  
nocte faces ac laternæ. Dominica die, quæ fuit Oc-  
tobris vigesima quarta, Imperator venit ad templum  
urbis maximum. Cultus erat laneo cappucio, cujus  
oras aureum filamen ambibat, sago indutus serico  
villoso pavonacei coloris, bireto serico, calciamen-  
tis albis, calceis sericis albis. Sedes fuit ex puniceo  
serico, cortyna ex purpura & auro contexta, culci-  
tra parietis ex aureo hirsutoque texto. Nec omit-  
tam quod in media nave templi, completo Missæ  
symbolo, peractum sit. Pendebat è tecto simula-  
crum civitatis, opinor Byzantium fuisse, cujus arci  
primariæ barbarici tyranni imposta fuerant insignia.  
Tum aquila biceps ex aureo lacunari delapsa ignem  
simulatae urbi intulit, quæ protinus erumpente sul-  
phure magno cum strepitu, fulguribus arte confictis  
exarsit. Demum barbarico vexillo dejecto, aurea  
crux erecta successit. Eodem die civitas decem au-  
reorum millia in patinis argenteis tribus exposita  
donavit Cæsari. Ea tulit Iacobus Compagna Iuris  
Doctor, oratiuncula Latina, quamquam rudi, re-  
citata. Post prandium Cæsar palatio egressus per bra-  
chium portus ad cœnobium Salvatoris & extremam  
usque turrim equitavit, & per ostium viridarij rediit



in palatium. Die Martis sequente septentrionales tur-  
 bis ruricolæ munuscula ferentes venerunt Cæsarem sa-  
 lutaturi. Tulere autem (si rite singula quæ vidi re-  
 cordor) vitulos viginti, complures cuniculos, galli-  
 nas 1500. lignorum & pælearum onera multa. Hæc  
 Carolus Cœnobiis & Ecclesiis distribui iussit villa-  
 rum. Die Iovis equitavit, & per portam Terræno-  
 væ egressus, muros urbis veteres ambibat. Per por-  
 tam verò gentilium mœnium, quæ nunc sublata fuit,  
 ingressus per superiorem urbis viam, rursus urbem  
 exiens per D. Basilij portam, ad arcem deductus, in-  
 feriora præsidij propugnacula peragrabat. Inde ad  
 portam Latinam juxta D. Francisci templum delap-  
 sus, perque ipsam egressus, perlustratis muris, re-  
 galem portam ingressus, per inferiora urbis, per Car-  
 melitanam portam, cujus arcum spherulæ coronant,  
 ad littoralem viam exiens, in palatium rediit. Do-  
 minico die, qui secutus est, Imperator ad ædem D.  
 Dominici veniens, cortyna inclusus sacris interfuit.  
 Postridie, festo jam die sanctorum omnium, templum  
 maximum repetens, Missam per Archiepiscopum ce-  
 lebratam audivit. Vesperi ex palatio ad ædem S. He-  
 liae ob memoriam defunctorum sequentis diei præ-  
 cessit. Dies Martis cum illuxisset, in æde prædicta  
 Missam audivit, & per portam Pileriam pedes egres-  
 sus ad pontem usque Doganæ, sub arcu tetrastylis,  
 cum delphinorum scyphis intermissis picturamento,  
 triremis paratæ puppim conscendit, machinarum  
 strepitu Principis discessum testante. Novemb. 3  
 transfretavit in Calabriam &c.

*Folio 206. linea 22. post illa verba, quæ non pro-  
 cul aberat, adde.* Fuit in prædicto templo, in pariete  
 quæ navem à testitudine separabat, effigies quædam  
 D. Mariæ mosaico ac tessellato opere: quæ ne cum  
 ruina periret, cum parte muri scalpris diligenter ab-  
 cisa est, atque concathenatis trabibus complexa, in  
 ædem



eadem D. Augustini transvecta ac servata est. Eodem mense Oria ductor circa &c.

*Folio 207. linea 7. post hæc verba, & erant alieni sceleris rei, adde.* Adeo nimirum viguit innatum Siculis in Mamertinos odium. Si quid bene gerebatur, ne gratiæ quidem ipsis agebantur. Si quid parum prosperè procedebat, in eos culpa omnis transferebatur. Dum hæc calamitas Siculos turbabat &c.

*Ibid. linea 23. post hæc verba, securi genio indulgebant, adde.* Itaque præcedenti Decembris nocte, quæ sequebatur D. Stephani Martyris natalem, Garfias à Toletò Neapolitanæ classis præfectus opiparam cœnam paravit Antoniæ Cardonæ Comitissæ Goulifani filiæ, cujus nuptias affectabat. Locus convivio super undas fuerat paratus. Stabant sub viridario palatii geminæ triremes ( quarum una fuit regia, quæ præfectus vectabatur ) æquè distantes ad interval- lum satis amplum. Super has impositis trabibus constructum erat tabulatum totam triremium longitudinem comprehendens, velis ac tentoriis circumseptum ac coopertum, intus autem aulæis pretiosissimis Trojana historia intertextis undique ornatum, ut palatinam aulam pelago superstare diceres. Ad tale tabernaculum per pontem ejusdem latitudinis inter ipsas triremium puppes ascensus patebat à littore. Quin etiam littus ad excludendam multitudinem tabularum septis utrinque claudebatur. Cœnatum est à tertia noctis hora usque ad octavam, funalium luminibus multorum accensis. Recitata ad horam usque tertiam comœdia, quam Tanzillus poëta Neapolitanus exhibuerat. Fuit hæc quasi pastoralis ecloga, amantium continens querimonias, quos à destinato interitu nymphæ cujusdam pulcherrimæ auctoritas in spem conceptam restituerat. Discubuere in eo convivio homines circiter quinquaginta. Præcipui fuere Ferrandus Conzaga Prorex, Helisabeta ejus uxor,



Sufanna Cardona cum Antonia filia ejusque sorore Diana uxore Ducis Vibonensium, Blascus Brachifortius Cameratae Comes urbisque Strategus cum uxore, filia, & privigna, generoque Barone Militelli notensis, Antonius Oria, Andreas Lambardus Conservator, Baltasar Saccanus à secretis Messanae cum uxore Antonia, Ioanna uxor Nicolosi Chrysofij Linguæ glossæ Baronis cum filia, Virginius Vrsinus Comes Anguillariae, Diomedes quoque Carraffus Calabriae Prorex, & alij. Epularum lautitiem, copiam, diversitatem, opulentiam penoris, ac famulantium ordinem omitto. Nihil enim novi narrarem. Omnia regum luxum adæquarunt. Mensibus Februario ac Martio ad turrim doublascei &c.

*Folio eodem extremo, post hæc verba, Imperatricis interitum, scribe & adde.* Ejus exequiæ 13. Iunii Messanae peractæ sunt, ad mediam templi navem tabernaculo sublimi super tumulum erecto, superque tabernaculum quinis pyramidibus, quarum media maxima sustinebat vertice aliam minorem. Hæc & angulares magnitudine ferme pares singulæ quaternas adhuc minores & mediam verticalem impositas habebant. Pyramidum gradibus cerei lychni superstabant accensi. Quæ structura paulò inferior erat tecto templi, lychnorum numerus excedebat millenarium. Tumulo argentea tela contexto corona imperialis imminebat. Super angulos tabernaculi quatuor statuæ impositæ cardinales virtutes cum instrumentis singulæ propriis repræsentabant, habentes singula in manibus disticha. Funalia quoque accensa per ambitum templi pendebant disposita centum. In fronte structuræ ad maximam templi portam conversa hæc prosa legebatur.





## D. HELISABETÆ

D. CAROLI V. IMP. CONIVGI.  
EMANVELIS. LVSITANORVM.

*Regis filia, Augusta, morib. ac forma conspiciua, unico clementia ac liberalitatis exemplo, tribus supersticibus liberis à partu defuncta, cujus obitum & cometes & solis deliquium & vatium responsa prænunciabant. Nupsit annum agens XXIII. Nupta vixit annos XIV. Obiit Toleti Kal. Maij, præsentè Casare.*  
MDXXXIX.

Conzaga Prorex pyram cum funalibus Messanæ cum mœrore erexit. Cetera verò epitaphia & partium quarumque circumstantias brevitatis causa omittimus. Itaque funalibus accensis, Conzaga Prorex, urbano magistratu, ac Marchione Terrænovæ, Alduino Consultore, ceterisque procerum, atratis vestibus induti equitarunt ad templum. Prorex sedit ad columnam portæ pauperum, ceteri hinc & inde, Iurati patres à fronte. Affuit clerus universus, & monachorum cœtus omnes. Litatum est solenni cantu ad aram chrisimatis, constructo ante portam chori pulpito. Missam obtulit Arnaldus Pactensium Episcopus ad id ipsum accersitus. Fuit is dies Iunij decimus septimus. Postridie Conzaga Prorex 12. triremibus delatus &c.

*Folio 212. linea 24. post illa verba, Cariatum fuisse direptum ac popularum, adde.* Per id tempus Messanæ multiplex dissensio vigeat. Augustinus Conzaga Rheginorum Archiepiscopus pro Innocentio Cibo Cardinali Mamertinorum Pontifice Vicarius cum alium sibi substituere vellet, à Canonicis oppugnabatur. Inter patritios popularesque Iuratos discordia fuit non spernenda, illis, qui numero præstabant, totum sibi gubernandi jus vendicantibus, his autem contra nitentibus atque curiæ majoris favorem, postposita reip. cura, mendicantibus. Ad hæc præ-



fecti duo, quorum alter temperandæ, alter eudendæ monetæ regiæ præerat, jactis invicem criminibus, a Præside officiis ambo privati sunt. In tanta urbis discordia Præses & Strategus inter se affines, quia duas sorores & Ioannis Lunæ Comitis filias duxerant, modis omnibus Messenios vexare, multaque contra publicam libertatem conari. Sed Augusti mensis 21. Præses cum toto magnæ curiæ magistratu &c.

*Folio eodem extremo, post verbum, conciliata fuit, adde.* Decembris 18. hora noctis tertia navis quædam Rhacusea incenso fortè nitrato pulvere arsit, accensisque retinaculis à nautis destituta, à littore porta regalis ad Servatoris cœnobium arrepta, erumpentibus etiam bombardis & ignea vi curvatis, ad usque carinæ robora consumpta est, incendij jubare urbem illustrante. Anno 1545. navis quædam è Chio Messanam veniens preciosis textis onusta, bis fulmine percussa juxta Apuliam, in vadosis locis disjecta periiit. Ex viatoribus 250, in quibus complures Liparitanii ac Calabri, qui à Turcis libertatem pretio redemerant, quinquaginta duntaxat servati sunt, ceteris naufragio ac fulmine absumptis. Messanæ contentio patrum & plebis adhuc durabat &c.

*Folio 213 pag. 2. linea 26. post hæc verba, primatum concesserat, adde.* Monasterium quoddam Cancellarium nomine, ultra modestiæ terminos facta inquisitione, non sine quorundam nobilium infamia vexabatur, Palam erat id ex invidia fieri, cum constaret earum virginum antistiam ex Sabiarum familia nobilissima modestam omnique virtute præditam fuisse. Sic bona Proregis intentio æmulationi aditum nocendi præbebat. Declaravit id rerum exitus. Non enim fortuito accidisse reor ut intra trimestre spacium vicarius, causæ procurator, Ferrandus, ac Ioannes è vita migraverint. Messanæ 2. Martij Osearius Strategus obiit &c.



*Folio 214. pag. 2. linea 11. post illa verba.* Stat-  
 egus declaratur, lege & adde. Anno 1552. Ianuarij 2.  
 Simeon Castellobono Messanam petens discessit.  
 Quinto mensis Catanam appulit, ac Proregem salu-  
 tavit. Postridie ego quoque Vegam in ædibus tunc  
 Vincentij Gravinæ commorantem compellavi, qui  
 literis me antea acciverat, ut filius ejus Alvarus, qui  
 ante Africanam expeditionem Thermitanis præerat,  
 opera mea erudiendus uteretur. Octavo mensis Ca-  
 tana discessimus, & decimo Messanam appulimus. Ibi  
 Simeon magno populi totius occursum exceptus &c.

*Ibid. linea 32. post illa verba.* epithalamium ceci-  
 ni, adde. Confluxit in palatium mulierum nobilium  
 multitudo, quadrigæ & equi regium atrium comple-  
 bant. Tum in ipsa regia & per urbem varij ludi &  
 equestria certamina celebrata sunt. Augusti 15. Tur-  
 corum classis &c.

*Folio 215. linea 7. post illa verba.* Turcis adjun-  
 geretur, adde. Septembris undecimo, cum ego unâ  
 cum Simeone Stratego degerem in archiepiscopali  
 palatio, in ipsa D. Nicolai æde, ab Augustino Con-  
 zaga Archiepiscopo Rhegino, qui tunc post urbis  
 suæ calamitatem in Sepulcri cœnobio morabatur, be-  
 nedictionis munus accepi. Affuere ceremoniis Phila-  
 retus Spathaforus S. Basilij Trajanensis & Hierony-  
 mus Zafaranus S. Salvatoris à Placa, ut moris est,  
 Abbates. Octobris 14. Ioannes Vega Prorex Messa-  
 na discessit, atque in ipso discessu me hortatus est ut  
 opera mathematica, quæ præteritis annis composue-  
 ram, ederem. Eiusdem mensis 17. Simeon Strategus  
 Messana discessit per Mylensem agrum, Cyminnam  
 proficiscens sponsam visurus. Tunc Petrus Luna Co-  
 mes in ipso nuptiarum præcinctu litem exorsus est,  
 Cyminnam sibi deberi prætendens: qui Proregis so-  
 ceri favore fretus, multa olim ab avo dissipata recu-  
 peravit, Anno Domini 1553, Aprilis sexto Simeon



Marchio Castellobono discessit, Messanam rediens ad officij tempus implendum &c.

*Ibid. linea 21. post illa verba*, reportatum est, *adde.* Septimo Novembris, Proregis, Strategi, atque Iuratorum urbis consensu pari annum salarium aureorum centum mihi concessum est, de proventibus vectigalium quotannis solvendum, ut opera mathematica & istoc chronicorum compendium intra biennium absolverem & absoluta exhiberem. Per idem tempus Messanæ fons marmorea juxta templum &c.

*Folio eodem 215. pag. 2. linea 6. post illa verba* in orientem redibat, *adde.* Octobris 30. Petrus Luna cum uxore, filia Proregis, & nepte ejusdem, qui Comiti Assari nupserat, è Thermis Messanam vectis triremibus Siculis, magno cum honore à Prorege & civibus exceptus, in palatium descendit, proceresque & matronas urbis aliquot in occursum habuit. Per id tempus Carolus Imp. &c.

*Ibid. linea 12. post illa verba*, vitam duceret, *adde.* Ioannes Oforius Conservator & Abbas S. Philippi Messanensis agri nactus vetustum Græcèque scriptum privilegium, auctis molendinorum & agrorum censibus, redditum veterem cœnobij decuplaverat. Hic cupiditate nimia ingens odium contraxerat, & in curia Cæsaris pro Vega Prorege intercedebat ut vel præfectura Siciliae illi prorogaretur, vel successor mitteretur. Simeon Vigintimillius litam contra se injustè moveri, Baro Soloëntis ereptum sibi castellum ad mare, Andreas Alduinus se officio privatum, aliique aliter vexati conquerebantur, atque hoc petebant ut Prorex &c.

*Ibid. linea 28. post illa verba*, obviam prodiit, *adde.* Inde ambo in ædem ingressi sunt. Nec cessavit per illud triduum cleri populique concursus admirantium illud rarum fortunæ spectaculum, hominem



ex infimo lacu ad talis excellentiæ culmen assumptum. Postridie, qui fuit dies dominicus &c.

*Ibid. linea 32. post illa verba,* ad ædes archiepiscopales deductus est, *adde.* Vixit primùm splendide, prandebat lautè, Episcopos, Abbates, Canonicos, & procerum nonnullos excipiebat munificè. In sacrorum cultu & vestitu mundus, equitabat famulis eleganter indutis constipatus. A magistratu deducebatur & reducebatur. In una tantùm re, iudicio meo, reprehendi potuit, quòd patriæ atque consanguineorum benevolentiam quovis thesauro preciosiorem parvo lucro postponebat. Sic quem fortuna exaltaverat, avaritia deorsum retrudebat. De ambitione non loquor, quod est vitium omnibus commune. Sed hic noster non semel exclusit Episcopos & alios primates ultro ad eum officij atque salutandi causa venientes. Maij 30. venit Messanam Federicus &c.

*Folio 216. pagina 2. linea 2. post illa verba,* vinclis absoluti, *lege & adde.* dimissique sunt. Mense Iunio nostræ triremes in Hadriatico septem piratarum biremes ceperant. Iulij 2. die festo Visitationis virginæ templi maximi postes occlusæ summo mane aperuerunt; & in porta primaria literæ jussu antistitis affixæ declarabant Iuratos ac populum à sacris excludi, quòd vetuissent promulgari pontificium edictum. Sed Iurati non injuria illud respuerant, in quo pecuniariæ multæ publicam libertatem fœdissimè abrogabant. Inde opus fuit intercessu Petri Ducis ad iram Pontificis placandam valuasque templi patefaciendas. Iulij 13. cùm Cardinalis in ædem S. Mariæ à Scalis antistiam virginum declaraturus se contulisset, ejus famuli à satellitibus capti sunt, eò quòd in litore pacis pridie quosdam vulnerassent. Sic Mercurius absque famulatu, paucis comitantibus, via superiori



344 MISCELLANEORVM LIBER SECVNDVS.  
ad propria reversus est. Iulij 16. triremes ex oriente  
revertebantur &c.

*Ibid. linea 26. post vocem, commendandus, addit*  
sicut ex epistola quadam Siciliensis concilij ad Caro-  
lum V. Imp. destinata constare potest, quam nos hic  
interferendam curavimus, ut rei monumentum ad  
posterios duret. quæ talis est.

Cùm, Serenissime Cæsar, non solùm maxima  
pars Italiæ & utraque Germania cum amplissimis  
Hispaniarum provinciis, sed ultra metas etiam He-  
culeas, Fortunatæ, Gorgades, & Hesperidum re-  
motissimæ nuperque conquistæ regiones tuo parent  
imperio, jamdudum has exiguas Tyrrheni maris in-  
sulas, quasi minutissimos scopulos, longè positus  
intueris, non tamen, si consideres, cur Siciliam no-  
stram vel negligas vel in postremo loco habeas, im-  
mo eam maximi faciendam, non ex nobis, sed ex  
clarissimorum auctorum testimoniis agnosces. Con-  
stat enim eam non ab historicis modo, sed à poetis  
etiam decantatam, & in cælo stellificatam. Unde lo-  
quet quanti fuerit apud antiquos pretij. Nam trian-  
gulum sive deltatam juxta sydus Arietis Siciliam esse  
in sydera tralatam Iginus fabulatur. Si fertilitatem  
quæris, hic fuit Cereris domus, quæ frumenti cul-  
turam prima tradidit. Si artes, hic fuit officina Vul-  
cani, hic machinator egregius Archimedes, Eucli-  
des geometra præstantissimus ex urbe Gela, Gorgias  
I continus rhetor. Hic Empedocles Agrigentinus  
philosophus . . . . . *Reliqua interciderunt.*

F I N I S.